

PROLUSIO CONGRESSVS

MARC MAYER I OLIVÉ

Rector magnifice, viri honorabiles, inlustres, spectabiles, egregii atque clarissimi viri, feminae clarissimae et dignissimae,

Paene lustrum peractum est ab eo die quo Romae nuntiavimus hospitalitatem rei publicae Barcinonensium Hispaniae citerioris ad congressum nostrum duodecimum celebrandum.

Annis quinque interiectis, nunc est denuo conveniendum. Multae res novae, nisi fallor, accessae sunt scientiae nostrae epigraphicae et Graecae et Latinae. Quarum primum punctum potens quodam, quod barbarice *Power Point* appellatur, in usu communi est; adde quod instrumenta quae scribent, computant et quasi rationaliter agunt universis gentibus sunt atque telephonum gestabile, Italicu sermone *telefonino* dictum, in omnibus sinibus et marsupiis tintinnat implacabilis. Vbinam gentium sumus! Di inmortales ab alienati a nobis sunt, ingeniumque nostrum non iam sustinet memoria sed discus quidam nomine CD-rom.

«Religio nobis non restat», ut in Subura adhuc hodie clamitatur, et profecto amor certus erga incertam scientiam nostram consilium convocat mulierum hominumque eruditorum ab omnibus terrae angulis profectorum. Ad coetum enim celebrandum undique convenimus.

Latina vox, adsidua inter discipulos Hispanos recte nobis sic monet: «quod natura non dat Salmantica non praestat». Similiter Barcino non dabit nobis quod antea natura non dederit, sed humanitas omnium post subtiliter disputaverimus, ductam pro certo habeo necnon fortasse, non invita Minerva, etiam scientiam et, quod est

magis desiderandum in aetate nostra, prudenter.

At nugarum et facetiarum finem faciamus gravioresque res attendamus. Molestias deponamus et in primis gratias agamus iis, quorum subsidiis non solum spiritualibus nobis foverunt, et qui personaliter nos atque vos personaliter sustulerunt. Humanum est errare, ut ait poeta, et nos mulieres hominesque tantum sumus. Cum fabula nostra Barcinonensis acta sit, si vobis placisset, plaudite; vobis placere studium nostrum est. Quam maxime servire commodis vestris statuimus, quo consilio atque conatu, bonitate vestra adiuvante atque aequanimitate, triumphabimus.

Pro praesentia vostra animo libente gratias agam in nomine eorum, quibus est cura et moderatio antiquitatum Graecarum Romanarumque Hispanicarum et quibus strenue ad hunc conventum instruendum contenderunt: pro certis habeto amicitiam et benevolentiam nostram erga vos. Ut Catalaunico sermone utar dico vobis ex abundantia cordis: *Benvinguts a casa vostra.*

Nunc, cum Acta Congressus in lucem produntur, unum tantum adiciendum puto: ut gratias quam maximas agam eis omnibus, qui nobis maximo adiutorio fuerunt, ut congressus recte evoluisset: in primis auctoritatibus publicis et academicis, deinde comitatibus Internationali et Hispano, necnon Barcinonensi, qui, licet consistorium minusculum esset, tamen strenue et silenter suum munus bene gessit, tandem omnibus eis, qui in edendis Actis res, opera et studia praebuerunt, et expositiones epigraphicas edendas et foveverunt et curaverunt.